Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26131
Copyright: Admont, Benediktinerstift



tenus habet. Qui enim multa tuetur
si non habet fortitudinem non ualet
id agere. quoniam magna magnis in
festationibus et aduersitatibus solent
laborare. Omnis igitur qui preest. hoc
primitus animi tota intentione
procuret. ut per omnia de domini adiuto
rio omnino non dubitet. Si namque
ceperit in actibus suis auxiliatorem
habere dominum. nullus hominum con
temptum habere poterit eius dominatum.
Non est enim potestas nisi a deo. Ipse ele
uat de stercore egenum. et sedere
facit cum principibus populi sui.
Deponit potentes de sede. et exal
tat humiles. ut subditus fiat
omnis mundus deo. et egeat gloria
dei.

Septimus abusionis gra
dus est christianus contentiosus. qui
cum participationem nominis christi
per fidem et baptismum suscepit.
contra christi dicta et propositum
mundi caduca delectamenta
diligit. Omne enim quod tenditur
aut propter propriam eius dilectio
nem rei qua agitur. aut propter
alterius amorem. que sub odiosa spe
cie latet appetitur. quemad
modum uerbi gratia bellum animoso
pugnantium conflictu cum
odiosa res fit propter amorem uicto
rie et libertatis peragitur. et multe
alie dilecte species sub odioso
labore. uel formidine satis con
tentiose expetuntur. unde pa
tenter intelligitur nichil conten
dere posse. nisi propter dilectionem
subsequentem. scilicet amabilemque
remunerationem. Qui igitur mundum
presentem ex quacumque causa con
tendit. perspicue ostenditur mun
dum diligere. quod per iohannem
spiritus sancti sermones interdicunt. quibus
ait. Nolite diligere mundum.
neque ea que in mundo sunt. Mun
di enim amor et dei pariter in
uno corpore habitare non possunt.
quemadmodum oculi celum pariter
et terram nequaquam conspiciunt.
sed requirendum est si uere in mun
do aliquid sit quod amari de
beat. et quis sit ille mundus
quem diligi diuina eloquia uetant.